

*ingredientia et exeuntia, repetit tria illa genera:*⁵⁸ *In praesentia vero oportet genera intelligere triplicia, aliud quod generatur, aliud in quo generatur, aliud unde assimilatum nascitur quod sit.* Hic materiam indicavit illis (in quo generatur) qua proprietate mox matri quoque eam assimilavit:⁵⁹ *susceptum quidem matri et*⁶⁰ *et matrem susceptaculum.*

Postea concludens:⁶¹ *Tertium rursus genus existens regionis semper corruptionem non suscipiens, sedem vero praebens quaecumque generationem habent omnibus ipsumque cum insensibilitate tactile rationcio quodam notho vix credibile.* Clare hic explicat, quid nomine χώρας, regionis voluerit, cum dicat: *sedem praebens, quacumque generationem habent omnibus.* Quae autem sunt, quae generationem habent? Formae nimirum, quas: μίμημα παραδείγματος^{xvi}, ἀφομοιούμενον, ἔκγονον, ἐκτύπωμα, ὄμώνυμον, δμοιόντε ἐκείνω, δεύτερον, αἰσθητόν, γεννητόν, πεφορημένον ἀεί, γιγνόμενον ἐν τινὶ τόπῳ καὶ πάλιν ἐκεῖθεν ἀπολλύμενον^{xvii}, *imitamen exempli, assimilatum, prognatum, expressum, aequivocum, simileque illi, secundum, sensibile, generabile, dilapsum semper, generatum in quodam loco et rursus inde deperditum.*

Materiam ergo χώραν, regionem appellavit ea significatione, quam expressit per susceptaculum, matrem, sedem non corporum, sed formarum generabilium, non aliter sane, quam postea Aristoteles. Sed longe aliud dicere est locum formarum et locum corporum.

⁵⁸ ἐν δὲ {οὖν} τῷ παρόντι χρή γένη διανοηθῆναι τοιττά, τὸ μὲν γιγνόμενον, τὸ δ' ἐν ᾧ γίγνεται, τὸ δ' ὅθεν ἀφομοιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον. [PLATO, Ti. 50.c.7 – d.2]

⁵⁹ τὸ μὲν δεχόμενον μητρί. [PLATO, Ti. 50.d.3]

⁶⁰ <καὶ> μητέρα καὶ [τὲ] ύποδοχήν. [PLATO, Ti. 51.a.4 – 5]

⁶¹ τοίτον δ' αὖ γένος ὃν τὸ τῆς χώρας ἀεί, φθορὰν οὐ προσδεχόμενον, ἔδραν δὲ [τε] παρέχον, ὅσα γένεσιν ἔχει πᾶσιν, αὐτὸ δὲ [τε] μετ' ἀναισθησίας ἀπτὸν λογισμῷ τινὶ νόθῳ, μόγις πιστὸν. [PLATO, Ti. 52.a.8 – b.2]

^{xvi} Usp. PLATO, Ti. 48.e.6 - 49.a.1: μίμημα δὲ παραδείγματος.

^{xvii} Od riječi: όμώνυμον do riječi ἀπολλύμενον, cjeloviti je citat, PLATO, Ti. 52.a.5-7. To su sve termini iz *Timeja*, osim riječi ἔκγονον.